

in qua erat Romanorum praesidium, & ad quam nisi per multos gradus ascendebarur.

72. Vers. 35. Et cum venisset ad gradus, scilicet arcis Ut pararetur a militibus per eorum manus propter vim populi. Syriac. Propter impulsum. Arabic. Violentiam, qua omnes insurgebant in Paulum, ut eum possent percutere, ac conterere.

73. Vers. 36. Et clamabant; tolle eum. Syriac. Vociferabatur, quod dicit voces incompuestas. Arabic. Exterea eum, tanto odio exacerbabantur in Paulum ut interficendo ejus viscera velleat extrahere, & datum est pro magna gloria, ut in paulo repraesentaretur, quaedam Christi patientis effigies, eodem enim verbo, quo Judaei poscebant Christum ad mortem Joan. 19. n. 15. eodem verbo clamant, & expolcunt Paulum ad mortem, Tolle eum.

74. Vers. 37. Si licet mihi loquar ad te. Syriac. Si permiseris mihi, humiliter, ac cum reverentia Paulus postulat loquendi licentiam cui ait Tribunus Graecum nosse. Arabic. Nosti loqui linguam Graecam, ac si dicat Tribunus, Vestram linguam Hebraicam vel Syriacam ego non intelligo, & quamvis Romanus bene percipit linguam Graecam, qua tunc erat valde communis, ut modo est Hispanica.

75. Vers. 38. Nonne tu es Aegyptius, qui te fingens magnum Prophetam tumultum concitasti. d. Chryso. Seditioem concitasti. Hun Aegyptiu explicabo quaestione sequenti.

76. Vers. 39. Ait, Paulus ego homo quidem Judeus e Tharso, ac proinde non sum ille Aegyptius seductor cum sim valde diversus genere, ac patria, de quo latius infra dicam q. 10.

77. Vers. 40. Et cum illi permisisset, scilicet, Cum Tribunus facultatem dedisset, Paulus stans in gradibus. Syriac. Stans super gradus, ut ita melius audiretur ab omnibus, quantum distat consilium dei a consilio hominum, illi arcem constituunt super gradus, ut ibi detenti non possent loqui, nec habere sermonem cum aliis, & deus, ipso gradus destinat, ut Paulus ex eis liberius loquatur, & ut melius audiat, quod homines faciunt ad impedimentum, Deus ordinabat ad obsequium.

QUESTIO IX.

Qualis esset iste Aegyptius, de quo Tribunus hic agit?

78. Quando Tribunus hac dicebat agebatur, an Christi. 68. Neronis 2. antea per triennium, scilicet anno Christi. 55. Claudii Imperatoris 13. insurrexit iste Impostor Aegyptius, de quo agit Eusebius lib. 2. cap. 21. ex Josepho, lib. 20. antiquitatum cap. 20. ubi eum hoc modo ita describit, Eodem tempore quidam ex Aegypto venit Ierosolymam viatam se esse profitemem, & plebi suadens ut secunda se in montem Oliveti ascenderet, qui e regione urbis ad quintum abest stadium illic enim viros suos iussu cadere Ierosolymorum moenia; ita ut per eorum ruinas aditus in urbem pateat, quo cognito Felix praeses jubet milites arma sumere, stipatusque multis equitibus, ac peditibus erumpens, invadit urbem seductam ab Aegypto, quarum quadringentis occisus ducentos viros capit, Aegyptius ipse; uigna lapsus disparuit. Et cum ipse Aegyptius ex praelio, vivis evaserit, inde Tribuno venit in mentem, an D. Paulus esset ipse Aegyptius.

79. Dicitur Aegyptius, ut pote ex suo genere malus, & iniquarum artium impostor, unde proverbium est evulgatum, Nec sunt suspend. machina Aegy-

pti. Ortum hoc ex quadam fabula, ut narrat Plautius in consulis. Quidam Aegyptius habuit quinquaginta filios, totidem filiabus fratris suis maritos dedit, at hi omnes praeter unum a suis sponsis jugulati sunt.

Et ait Tribunus in textu, Quatuor millia, tot enim eduxerat secum ex Aegypto, sed turba latronum affluente, ac multiplicata ad triginta millia devenit, ut scribunt Josephus, & Eusebius & advertunt Glossa Bedae, Hugo Carthus.

Sicariorum. Syriac. Sceleratorum. Lorinus ex Hebraeo facientium mala. D. Chryso. Oecumen. dicunt sic nominari a gladiis reconditis, quos gestabant Beda, & alii referunt, quod pro illo tempore extabant latrones, qui scias, id est breves gladios manu gestabant, & permixti populo occulte vulnerabant, mors manifestabatur, & percussor latebat. Oecumenius describit hos gladios incurvatos fuisse more Persarum.

Nota hic quod Paulus Christi patientis vestigia imitatur, nam Christus Dominus cum Barraba imponitur Joan. 18. n. 40. & Paulus cum impio, & iniquo impostore Aegypto.

QUESTIO X.

Quare Paulus se dicit natum in Tharso urbe celeberrima.

80. Ostendit Paulus, quod non sit ille Impostor Aegyptius cum non sit natus in Aegypto sed in Tharso. Civitas, nam datur alia Tharsus in Bithynia, & ait, quod patria sua Tharsus non sit Civitas ignota Syriac. Sed urbs celeberrima. Lyranus. Famosa, & inde sibi laudes colligit Paulus Lyras quod ab urbe nobili, & grande Tharso sit natus; multum enim confert hominibus majestas patriae & Civitatis.

Loquens Ifaias de Viro magno, & forti, ait Cujus ignis est in Sion, & caminus ejus in Ierusalem. cap. 31 n. 9. Quae verba sic legunt Septuaginta Beatus, qui habet in Sion semen, & domiticos in Ierusalem. Sion erat mons sanctus, & beatus, in quo erat Dei Templum, & qui in eo nati erant in tantum extollebantur, ut ab illo Beati dicerentur, & notandum quod pro igne in nostra vulgata, transferunt Septuaginta Semen, nam sicut ignis cuncta, ad quae accedit, inflammat, & accendit sic semen, exortum ac illo sancto monte universa accendebat in amore, ac charitate. sic hunc ignem montis Sion interpretatur D. Gregor. homil. 21. in Ezechiel ait, Ex amore Domini in Sion ignis, & in Ierusalem caminus quia hic amoris ejus flammis aliquatenus ardemus. In sua lectione dicit Septuaginta: Beatus qui habet in Sion semen, & domiticos in Ierusalem. Sic nobilitantur a patrio solo, ut non tantum dicantur Beati, qui habent semen, & originem a monte Sion; sed etiam dicuntur Beati, qui habent domiticos, & consanguineos in Ierusalem Civitate Sancta.

81. Scribit Joannes Evangelista cap. 1. n. 19. Miserunt Judaei a Ierolymis Sacerdotes, & Levitas ad Joannem. Legati, & oratores dicuntur missi ad Praetorem non ex quocumque loco, sed e Ierolymis a praestantissima Urbe, ut inde maxime, ipsi commendentur, ut Vici magni, magnique ponderis Cajetanus ait, Tanto insigniores, quanto a Ierolyma Civitate primaria mittuntur.

82. Non nego tamen, quod ex vili, & humili loco Vir magnus prodeat ut ait Seneca Epist. 69. Potest Seneca.

83. ex casa vili magnus exire, magnus ille Samuel reurum, ac morum praclarus Magister, de quo dicitur, 1. Reg. 3. n. 20. Cognovit universus Israel, quod fidelis esset Propheta Domini, & tamen erat ex Patria Romatha ad montem sita humili, ac parvo, & faxeo oppidulo, a quo vir tam magnus ortus est, ad quem alludens D. Gregor. Nazianzen. orat. 25. Parva, inquit, magni viri parva, quae nec illi impedimento fuit; quominus Deo prius quam in lucem prodiret donaretur. Alludit ad nomen Samuelis; qui a Deo datus interpretatur.

QUESTIO XI.

Quare Paulus alligatus catenis tam pedibus, quam manibus predicat, & manu silentium indicat?

87. UT vidimus, alligatus erat Paulus duabus catenis tam manibus, quam pedibus, & adhuc ad praedicandum, ac docendum non desistit, sed ut melius ab omnibus audiat, ascendit ad superiorem gradum, etsi Paulus esset alligatus, Verbum Dei non ligatum erat, D. Chryso. homil. 47. in Acta Apostol. ait, Quid huic spectaculo par videre? Paulum duabus catenis alligatum concionantem? Quomodo non turbatus est? quomodo non confusus est tantum populum exasperatum videns, astante praeside? Vide tom. 2. in Evangelia cap. 4. quaestione 5. n. 26. 27. & 28.

88. Tamen in hac re magna insurgit difficultas: Paulus erat manibus ligatus, & tamen vers. 30. dicitur Annui manu ad plebem magno silentio facto. Si manus erant ligatae, quomodo manus movet ad indicandum silentium, nec potest dici, quod Tribunus jussit catenas auferri, nec tam brevi spatio catenae fuerunt impostae, & statim ablatae. Proinde dico, quod divina virtute illae catenae fuerunt laxatae, ut nullum obstaculum facerent ad debitas actiones in Paulo; nam cum ipse esset bonus odor Christi, ex ejus fragrantia, ac exhalatione omne impedimentum contrarium dissolutum, ac dissipatum est, ut Paulus debitum munus exqueretur, ac adimpleret.

89. Senex Abrahami firmiter credidit factae sibi promissioni de filio futuro, quia ut ait noster Apostolus Rom. 4. n. 19. Non consideravit corpus suum mortuum, cum fere centum esset annorum. Optimo jure Apostolus dicit corpus ejus mortuum ad naturaliter generandum, ut ita indicet Isaac datum ei fuisse miraculose; ut vero post natum Isaac & mortuam Saram ait Textus ex Genes. 25. n. 1. Abraham aliam duxit uxorem nomine Cethuram, quae peperit ei Zaman, Antequam Isaac nasceretur jam corpus Abraham erat mortuum, & ex Dei virtute datur ei Isaac, & Sara, unde ei venit quod ex alia uxore habeat filios; Rationem nobis inculcat Origenes homil. 11. in Genes. & ait, Cethura, quam nunc Senex Abraham sortitur in matrimonium; interpretatur bonus odor, & ipse dicebat, sicut Paulus dixit; quia Christi bonus odor sumus. Ex bono Christi odore solvitur impedimentum naturae in Abrahamo, & vinculum catenarum in Paulo.

CAPIT XXII.

90. Vri fratres, & Patres, audite, quam ad vos nunc reddo rationem.

- 2. Cum audissent autem, quia Hebraea lingua loqueretur ad illos magis praestiterunt silentium.
3. Et dicit: Ego sum Vir Iudeus, natus in Tharso Cilicia, nutritus autem in ista Civitate secus pedes Gamaliel eruditus iuxta veritatem paterna legis, amulator legis, sicut & vos omnes estis hodie.
4. Qui hanc viam persequutus sum usque ad mortem, alligans, & tradens in custodias viros, ac mulieres.
5. Sicut Princeps Sacerdotum mihi testimonium reddidit, & omnes majores natum, a quibus & epistolas accipiens, ad fratres Damascum pergebam, ut adducerem inde vincitos in Ierusalem, ut punirentur.
6. Factum est autem eunte me, & appropinquante Damasco media die, subito de Caelo circumfulsit me lux copiosa.
7. Et decidens in terram, audivi vocem dicentem mihi, Saule, Saule quid me persequeris?
8. Ego autem respondi, quis es Domine? Dixitque ad me, Ego sum Iesus Nazarenus, quem tu persequeris.
9. Et qui mecum erunt lumen quidem viderunt, vocem autem non audierunt ejus, qui loquebatur mecum.
10. Et dixi quid faciam Domine? Dominus autem dixit ad me: surge vade Damascum, & ibi dicetur de omnibus, quae te oportet facere.
11. Et cum non viderem pra claritate luminis illius ad manum deductus a comitibus, veni Damascum.
12. Ananias autem quidam, vir secundum legem testimonium habens ab omnibus cohabitantibus Iudaeis.
13. Veniens ad me & astans dixit mihi: Saule frater respice, Et ego eadem hora respexi in eum.
14. Et ille dixit, Deus Patrum nostrorum praordinavit te, ut cognosceres voluntatem ejus, & videres justum, & audires vocem ex ore ejus.
15. Quia erit testis illius ad omnes homines eorum, quae vidisti, & audisti.
16. Et nunc quid moraris: Exurge, & baptizare, & ablue peccata tua invocato nomine ipsius.
17. Factum est autem revertenti mihi in Ierusalem, & oranti in templo, seri me in stupore mentis,
18. Et videre illum dicentem mihi, Festina, & exi velociter ex Ierusalem; quoniam non recipiunt testimonium tuum de me.
19. Et ego dixi, Domine ipsi sciunt; quia ego eram concludens in carcerem, & cadens per Synagogas eos, qui credebant in te.
20. Et cum funderetur sanguis Stephani testis sui, ego astabam, & consentiebam, & custodiebam vestimenta interficientium illum.
21. Et dixit ad me; vade, quoniam ego in nationes longe mittam te.
22. Audiebant autem eum usque ad hoc verbum; & levaverunt vocem suam dicentes, Tolle de terra hujusmodi; non enim fas est eum vivere.
23. Vociferantibus autem eis, & proicientibus vestimenta sua, & pulverem jactantibus in aerem.
24. Iussit Tribunus induci eum in castra, & flagellis cedi, & torqueri eum, ut sciret propter quam causam acclamarent ei.
25. Et cum astrinxisset eum loris, dicit astanti sibi Centurioni Paulus, Si hominem Romam

num, & in demeritum licet vobis flagellare? 26. Quo audito Centurio accessit ad Tribunal, & nuntiavit ei dicens: quid acturus es hic enim homo civis Romanus est. 27. Accedens autem Tribunal, dixit illi, Dic mihi si tu Romanus es: et ille dixit, Etiam. 28. Et respondit Tribunal, Ego multa summa civilitatem hanc consecutus sum. Et Paulus ait, ego autem & natus sum.

29. Protinus ergo discesserunt ab illo, qui cum torturari erant, Tribunal quoque timuit postquam resciivit, quia Civis Romanus esset, & quia alligasset eum. 30. Postera autem die volens scire diligentius, qua ex causa accusaretur à Judais, solvit eum, & iussit Sacerdotes convenire, & omne Concilium, & producit Paulum, statuit inter illos.

ARGUMENTUM.

Paulus perorat ad populum, explicat suam conversionem à Deo factam se esse destinandum ad convertendas gentes, populus clamans eum ad mortem poscit. à Tribuno flagellari præcipitur, cognitus Civis Romanus à flagellis custoditur, in publico Iudæorum Senatu se ab omni crimine purgat.

Act. 22. num. 1. Viri Fratres. & Patres, audite quam ad vos nunc reddo rationem.

Versiones.

CUM EXPOSITIONE I. usque ad Vers. 5.

1. Ver. 1. Viri Fratres, & Patres, sic & eodem modo D. Stephanus incepit suam orationem cap. 7. ver. 2. majorum exemplum sequitur Paulus, & eos ex charitate compellat titulo germanitatis, deinde titulo honoris, dum Patres vocat, coram eis se humiliando, aderant tunc forte multi Sacerdotes, & Principes, & ex utroque titulo se ostendit, ait Chryso. non esse alienum ab eis, scilicet natura, & sanguine. 2. Audite rationem, Syrus præ rationem spiritus, vel defensionem, ut Syrus Parisiens. Ex usationem, contra iniquam Asiaticorum accusationem. 3. Ver. 2. Cum audisset Hebræa lingua loquentem magis præstiterunt silentium, Syriac. magis cessarunt, scilicet à tumultu, Arabic. Auscultarunt eum multa cum quiete, D. Chryso. Attentivam lingua propria melius auditur, magnumque reconciliat affectum. 4. Ver. 3. Ego sum Vir Iudæus, nempe religione, & natione, Natus in Tharsus Cilicia, de quo egi superiori cap. 9. 10. natus autem in ista Civitate, ad quam missus fuerat à Patre suo studendi sacre Scripturæ causâ, quæ ibi docebatur, Ad pedes Gamalielis, qui erat magnus, & insignis doctor. Eruditus juxta veritatem Paternæ legis, Syrus, Eruditus perfectè in lege Patrum, Arabic. Instructus in his, quæ pertinent ad regulam legis, ac ad illius exactam observationem Amulator legis, Syriac. Fuitque zelator Dei; nam qui zelator est legis Dei, zelator est Dei. 5. Ver. 4. Qui hanc viam persecutus sum, Syriac. Qui hanc doctrinam persecutus sum, scilicet Christianorum Usque ad mortem, ut Stephanus, & alios, Hugo aliter exponit, ac si dicat: Ita ego eram legis defensor, ut pro illius custodia essem paratus mori, sed prima expositio est melior & magis coherens cum subsequenti, Aligan, & tradens eos in carcerem. Ver. 5. Sicut Princeps Sacerdotum mihi testimonium reddidit, Syriac. Sicut mihi testis est summus Sacerdos, probabiliter existimat Sanches litteras sibi olim datas à summo Sacerdote, quas Paulus usque modo servavit ad ostendendum suum antiquum legis zelum, & æmulationem legis Dei in eo.

QUESTIO I.

Quare Paulus in exordio Sermonis se dicit nutritum in hac civitate Jerusalem?

Ait: Ego nutritus in hac Civitate Jerusalem omnium universali Academia, ac proinde bene instructus in universali scientia, & hac ratione sibi laudem usurpabat Horatius.

Roma nutriti mihi contigit, ac doceri.

Sic & Paulus maxime commendat suam sapientiam à nutritu Jerofolymitano, ut pote præclarissima Academia. Veniunt ad invisendum Job tres amici Eliphaz Themanites, Baldad Suhites, & Sophar Nuamathites Job. 2. n. 11. tamen ex his tribus primus omnium loquitur Eliphaz Themanites Job 4. n. 1. erat enim ille ex Civitate Theman, quæ erat valde magnifica Academia totius humanæ, ac divine Sapientiæ: ut communiter notant Expositores Lyran, Hugo, Carrhus, ad illa verba Jerem. 49. n. 7. Nunquid non ulta est Sapientia in Theman, & cum Eliphaz esset ex tam grandi Academia ceteris præcedebat, & primus loquitur; ut omnium maximus sapientia, eruditione honore, ac dignitate, & recte illa Academia dicitur Theman, quod Hebraicè de civitate sonat, ubi sapientia fleret, ibi cuncta sunt dextera, felicitia, & auspiciata cum omni urbanitate, ac decenti modo facti.

Ad ostium animæ sanctæ pulsat Divinus Sponsus, Aperi mihi soror mea, quia caput meum plenum est rore, surrexi ut aperirem dilecto meo. Cantic. 5. n. 5. & quævis illum per vicus, & plateas, postea ut & vocem sponsi audiat, & sequatur, necesse est, ut tripliciter vocetur. Veni de Libano, veni de Libano, veni coronaberis de capite Amanæ, de cubilibus Leonum, & Pardorum, Cantic. 4. n. 8. Quæ tam sedulas ac diligens erat, ut aperiret ostium, modo vero tantas moras necit, ut necesse sit semel, & iterum, atque iterum vocari. Unde tanta diversitas à folio in quo versabatur, in Civitate in qua versabatur politica, urbanitas florebat, ut ad unam vocem surgat, at dum in deserto Sylvestri deget cunctandi rusticitas prodit, ut necesse sit multipliciter compelli, ac advocari.

Ex quo merito Rupertus magnum miraculum divinæ Omnipotentia reputat, quod Amos rusticorum inter Pastores degentem elegerit in vatem ad annuntiandum populo suo. Unde ipse Prophetæ cum eligeretur à Deo ait: Ego de humili Casa,

ac de vili hominum numero, & ait, Ego armentarius sum villicans Sycomoros, & tamen, dixit Dominus ad me, & vade & propheta ad populum meum Israël, Amos. 7. vers. 14. & 15. quæ verba explicans Rupertus sic ait: Magnum quippe præconium gratia ac gloria Domini in eo quod Pastorem implendo Prophetam faceret, & dignanter vult, & efficaciter posuit. Expende verba Magnum quippe præconium gratia, & gloria Domini; extitit quidem magnus ostentata divinæ omnipotentia dispositione, quod hominem rusticum, ac Sylvestrem expoliret, ut vatis munus adimpleret in populo suo. Vide quæ supra dixi de academia Solis cap. 1. q. 7. n. 44. 45. 46.

QUESTIO II.

Quare D. Paulus se dicit eruditum ad pedes Gamalielis?

DE Gamaliel jam dixi supra cap. 5. vers. 35. Erat ille vir magnus, ac magnæ opinionis, & de ejus magisterio gloriatur Paulus, & ait: Secus pedes Gamalielis eruditus, & quamquam glossa Interlinealis, & Hugo accipiant de servili obsequio, tamen melius, & verius D. Chryso. de studio, ac doctrina ab eo accepta, & reverentia illi exhibita. Videtur enim metaphora desumpta à Magistro qui in Cathedra, ut in loco altiori sedet, ad cujus pedes auditores videntur assidere, tamquam humiliantes se ad percipiendam doctrinam, ut dicitur Deuter. 33. n. 3. Et qui appropinquavit pedibus ejus accipiens de doctrina illius, sic & Magdalena stabat secus pedes Domini, & audiebat verbum illius, Luc. 10. n. 39, ut ponderat D. August. serm. 27. de Verbis Domini, & ait: Quanto humiliter sedebat, tanto amplius cupiebat, Conluit enim ad humilitatem convallis, denotat de tumoribus collis.

Conscriptum sit Psal. 17. n. 27. Cum ele. To electus eris, & cum perverso perverteris, inde valde mirum quod cum Loth viveret inter depravatos, ac nequissimos Sodomitas, Genes. 19. n. 1. se purum, ac Sanctum custodiret, ut ab eis non coinquinaretur; Unde tantum bonum illi venit? Enutritus fuit domi Abrahamæ, ac sub ejus doctrina, ac disciplina, indeque virtus tam altas radices in eo propagavit, ut à nulla vitiorum debachantium tempestate potuerit commoveri D. Chryso. homil. 43. ait, In sum Loth in tantum virtutis apicem erexit Patriarchæ consuetudo, quod effecit ut vestigia illius sequeretur. Virtute enim Loth à prima pueritia exhibitam ex consuetudine Abrahamæ annis vitiorum armata manus non potuit eveller.

Hinc David clamat psal. 2. n. 12. Apprehendite disciplinam, Sermo est ad pueros, qui incumbunt sub disciplina addiscenda, ac comparanda illa vox disciplinam. In Hebræo Bar idem valet, ac puritatem, ac si David natam ab schola sapientiam puritate morum velit esse.

Dicitur Exod. 33. n. 11. Minister ejus, scilicet Moyse Jofue filius. Num uer non recedat de Tabernaculo, quomodo dicitur Jofue puer cum jam extitisset dux belli, ut merito dubitat Cajetan. & ait Appellatur Jofue puer à qualitate innocentia, qualis est in pueris; non enim atate erat puer, qui fuerat dux belli in prælio contra Amalecitas, dicam ego quod ita dicebat, ac adharebat doctrinæ Moyse, ac si esset unus puer, ex talique educatione haberet, ut non recederet à Tabernaculo Domini sui, & ideo tam magnus evasit, ut sicco pede flumen transiret, Sol ad ejus vocem stetit ut hostes de-

bellaret, ac populum promissum introduceret in terram Sanctam.

bellaret, ac populum promissum introduceret in terram Sanctam.

QUESTIO III.

Quare tantus est D. Paulus in explicanda educatione sue pueritia?

Nutritus secus pedes Gamalielis, explicat Apostolus quale fuerit exordium educationis sue pueritiæ, quæ fuit nutrita sub doctrina magni magistri, ac proinde quod ipsam disciplinam retinuerit, ac conservaverit per totam vitam. Illa verba, quæ Deus dixit ad Abraham, Genes. 15. n. 15. Tu autem ibis ad Patres tuos in pace sepultus in senectute bona. Sic transfert, ac legis philo lib Quis re- rum divinarum sit heres sic ait, Tu ibis ad Patres tuos cum pace nutritus in senectute bona. quod habet provecta, & antiqua senectus cum nutrita pueritia in pace nutritus? Illam animi pacem quietam & tranquillitatem, quam ebibit in pueritia illa retinuit, ac conservavit in bona senectute, qua sepultus est, tam profunde, & alte manet radicata cautrita disciplina in pueritia.

De sua dilecta Sponsa Ecclesia ait Christus D. Una est Columba mea perfecta mea, Cantic. 6. n. 8. & cur Ecclesia sub specie Columba denotatur, ac significatur, quænam combinatio inter unum, & alterum? Verte oculos, quod dum innuebatur Ecclesiæ regenerationis exortus in aquis Jordanis Descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut Columba in ipsum, Luc. 3. n. 22. Dum Ecclesia regenerata prodit ex aquis, divinus Spiritus sub specie Columba fovens apparet, ex quo factum est, quod Ecclesia à suo exortu puritatem, ac simplicitatem Columba exhauit, quam puritatem per totam vitam retinuit, ac conservavit, ut semper sit, ac dicatur purissima ac simplicissima Columba, D. Gregor Nissen homil. ultima in Cantic ad finem ait: In filio natura parentis omnino cognoscitur, quare id, quod ex spiritu gignitur, sit spiritus, & verosilia cum Columba sit, omnino etiam mater hujus est Columba illa, quæ de Cælo ad jordanem volavit, quem admodum Joannes testatur. Ut docet Sanctus Pater loco citato, filius semper refert similitudinem sui parentis; cum ergo ecclesia sit regenerata ab Spiritu sancto sub specie Columba, inde ipsa ut filia ejus dicitur Columba.

Valde sane mirum est, quod tam generosè, ac intrepide Joannes arguat Herodem, & increpet, Non licet tibi habere uxorem fratris tui, Matth. 14 n. 4. Joannes ab utero matris habuit pro veritate stare, illamque omnibus modis publicare; non ergo mirum, quod tantum pro veritate tam forti animo clamet, & dicat D. Basil. Seleuc. orat. 18 in Herodiad, sic ait, Postor legis in Regem legis prævaricatorem O dendi libertas, quæ Regiam injuriam non metuit: linguam evibrabat, ut olim in utero salum edebat. Ab utero habebat veritatem demonstrare, & clamare, quod in tota vita integer rime servat, ac retinet.

Paulus à Vers. 6. usque ad 16. narrat suam conversionem, quomodo ipso eunte in Damascum, Christus eum vocavit de Cælo, & ab Anania salutatus, & baptizatus, quod manet explicatum supra c. 9.

Act. 22. n. 17. Factum est autem revertenti

Eminent
Tui vir
tus in
rustico
excolit
Rupert.

Gloss.
H. o.
D. Chry.
S. o.

11. Vera lo-
drina cum
humilitate
se percipi-
tur.

D. Aug.

12. Gen. 19.
Educatio
in virtute
proficit
ad totam
vitam.
D. Chr-
sost.

13. Psal. 2.
Ab bona
disciplina
puritas
morum.

14. Exod. 13.
Ex bona
educatio-
ne in
pueritia
erescit
homo in
magna.

7.

Job. 2.

Job. 4.

Jer. 49.
Lyran.
Hugo.
Carrhus.
Ab Ac-
demi s.
homo
probus
& doctus.

8.

Cant. 5.

Cant. 4.
Homo
rusticus.
à cam-
po, ur-
banus à
Civitate

9.

Amos. 7.

ac

15.

Gen. 15.

Philo.
Id quod
homo ebibit
à prima
pueritia sem-
per habet.

16.

Cant. 6.

Ecclesia à
suo exor-
tu retinet
puritatem
spiritus
sancti.
Luc. 3.

D. Niss.

17.

Math. 14.
Virtus à
pueritia
perseve-
rat.
D. Basil.
Seleuc.